



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De  
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem  
confixione**

**Raynaud, Théophile**

**Lvgdvni, 1653**

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino D. Francisco Antonio Diez De  
Cabrera, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11141**



Illustrissimo & Reuerendissimo Domino  
D. FRANCISCO ANTONIO  
**DIEZ DE CABRERA,**  
ARCHIDIACONO ET CANONICO  
Ecclesiæ Compostellanæ, necnon Inquisitori  
Apostolico Regni Toletani, & Curiæ  
Regiæ, Hispaniæ, &c.



*CCE* quartum, *Alpium iuga trans-*  
*cendens, Romam reuertor* INQUISITOR  
ILLVSTRISIME, *rem à te sanè non ma-*  
*gnam petiturus, ut Censor ex munere,*  
*nec vacuum præferens nomen, sed à*  
*dotibus muneri commensis egregiè constitutus, susce-*  
*ptam à me malorum ac bonorum librorum cribratio-*  
*nem, qua fursures literarios à lecto polline secerno,*  
*iudicio tuo comprobatam velis. Facio hoc, imitatio-*  
*ne virorum magnorum; quos inter, Latina sapientiæ*  
*simul atque facundiæ flos speciosus, (sic nominatum à*  
*Pelagio memini S. Ambrosium, approbante Augusti-*  
*no,) Sabinum Laudensem Episcopum, scriptionum*  
*suarum arbitrum dixit. Sed & Boëtius, qui fascibus*  
*Consularibus, & Splendori summarum dignitatum*

à 2

haud

haud imparem Christianæ sapientia gloriam nexuit,  
Symmachum Socerum optavit Censorem, transmittens  
ad eum è carcere lucubrationem de Trinitate, ut eius  
iudicio staret aut caderet. A S. Basilio Magno, idem  
expetiisse Diodorum Tharsensem, ex Facundo Her-  
mianensi discimus. Mitto posterioris aui complures.  
Sed illi, de singulis scriptionibus unico argumento ad-  
dictis, Censorem querebant idoneum. Mihi cui de li-  
bris quibuscunque, malis ac bonis, proposita disquisitio  
est, Censor necessarius fuit, cui esset literaria penus in-  
structissima, eaque non librariis pinacothecis ad pom-  
pam & vanam ostentationem, sed animo condita; iu-  
diciū acre & perpurgatum, dotes denique omnes Cen-  
soris probati, eoque digni nomine.

UT TE hoc loco haberem, VIR AMPLISSIME, per-  
suasit perspectissima mihi, per facilem ad te accessum,  
cum Romæ degerem, omnigena doctrina tua, & iudi-  
cij exquisitè perpoliti vis eximia; quibus animi opi-  
bus, nobilitatem generis, per magna auorum atque  
atauorum nomina longa serie decurrentem; & gradus  
queis in Regia, & in Ecclesia orbe uniuerso celeberr-  
ima emines, velut gemmis pretiosissimis aurum obry-  
zum inoculas. Enimverò usus sæpè, magna mea vo-  
luptate, per eam quam dixi Romanam commoratio-  
nem, tua presentia, & erudita consuetudine, Mega-  
lopoli illi non semel gratulatus sum, quod te suo splen-  
dore ac nomine dignum existimans, ad se allegerit, nun-  
quam ab inolito doctrinæ imperio casura, quamdiu tui  
similes

*similes suo sinu fouebit. Dolebam tamen, cum multa deberem tuo nescio cui de me iudicio, quod pepererat humanitas tua; non habere quod referrem. At quid consilij caperem, nisi ut cuius doctrinam suspexeram, cum aliis non posset à me officiis, is in libris omnis generis versatissimus, LIBRI de LIBRIS nuncupatione cole-retur?*

*ID I A M* agitabam Roma; hucque redditus, cœpi ad destinata animum conuertere, quo huius mei nominis tantillam partem dissoluerem. Blandiebatur argu-menti fiducia, vita tue integritas, iudiciorum aequitas, doctrinæ magnitudo; omnia currentem incitarunt. Hæc (ut vocabam,) Librorum cribratio, libero solo nata, patrias immunitates violare non timet, si eruditionis tue tribunali se sistat: Quin gaudet, quod futura sit apud Nostrates, doctrina tua, ac veterum morum, & meæ erga te obseruantia monumentum perenne. VALE. Lugduni Celtarum anno 1653. ineunte.

ILLVSTRISSIMÆ AMPLITVDINIS TVÆ.

Addictissimus in Christo seruus,

THEOPHILVS RAYNAVDVS,  
ex Societate IESV.